



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 10. Quæ se facturos iurauerint Græci cum Xerxis copiis congressuri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

liquidò constaret, homo eruditissimus, cuius labore & industria Plautinæ fabulæ plurimis sanè locis emendatioribus leguntur, scribendum eo loco censuit, *fratrem facere*. &, quoniam fratres interdum à Græcis *ἄδελφοι* dicuntur, qua in voce eiusdem sanguinis significatio est, iccirco hoc militem dicere credidit, cupere macharam, tingi hostium sanguine. quod si reciperem, fratres tamen potius legerem, quàm fratrem: ne perturbata numeris esset oratio. sed suum cuique, ut dicitur. mihi displicere nondum potest ea coniectura, quam, cum adolescentulus in Gallia Plautinas fabulas explicarem, iam dudum de hoc loco feceram. factum enim legendum admonueram, ubi vulgò legitur fractum. atque ea voce farcimen, ut istium, aut eius generis aliquid, credideram indicari. ut quoniam tales cibi è carnibus minutissimè dissectis confici solent, diceretur machara gestire hostes ita minutatim concidere, ut ex eis farcimen fieri posset.

Quæ se facturos iurauerint Græci cum Xerxis copiis congressuri. CAPVT X.

PRÆCLARVM sanè & magni animi plenum est iusiurandum illud, quo se obstrinxerunt Græci omnes cum aduersus copias Xerxis dimicaturi essent. id autem in hæc verba conceptum est. Vitam libertate pluris non faciam. neque deseram imperatores, neque viuos, neque mortuos, sed eos è sociis, qui in prælio occubuerint, omnes sepeliam: & ubi barbaros deuicero ex iis quidem ciuitatibus quæ pro Græcia pugnaverint, nullam deuastabo: quæ autem barbari partes sequi maluerunt, omnes decimabo. fanorum quæ à barbaris incensa & diruta sunt, nullum omnino exci-
tabo, sed sinam, impietatis barbaricæ extet in omni

E 5

poste-

posteritate monumētum. Adscribam & Græca, si quis ea fortè cognoscere cupiat. ὅτι ποιήσονται πλεῖστοι τὸ ζῆλον τῆς ἐλευθερίας. ἐδὲ καταλείψω τὰς ἡγεμόνας, ἕτεροι ζῶντες, ἕτεροι ἀποθανόντες. ἀλλὰ τὰς ἐν τῇ μάχῃ τελευτήσαντας τῆς συμμάχων ἀπαντας θάψω. καὶ κρατήσας τῶν πολέμων τὰς βαρβάρους, τῆς μὲν μαχασμένων ὑπὲρ τῆς ἐλλάδος πόλεων ἐδεμίαν ἀνάστων ποιήσω. τὰς δὲ τὰ τῶν βαρβάρων παρελομένας ἀπάσας δεκαπέσω. καὶ τῆς ἱερῶν τῆς ἐμφορηθέντων καὶ κατακληθέντων ὑπὸ τῆς βαρβάρων ἐδὲ ἐν ἀνοικοδομίᾳ πάντα πασον. ἀλλ' ὑπόμνημα τοῖς ὀπινηνομένοις ἕασσω καταλείπειν τῆς βαρβάρων ἀσελείας.

Locutio quadam, que Euripidis esse credebatur, reiecta: & ipsius poeta emendatus locus.

CAPVT XI.

TRADITVM est à quibusdam, & quidem iis in libris, qui clarissimi, & vtriusque linguæ intelligentia præcellentissimi viri Gulielmi Budæi nomen præferunt, καλλίνικον φέρεσθαι apud Euripidem legi, pro eo quod est, victoriam reportare. ego autem, qui poeta illo singulariter oblectatus sum, plurimumque studij in eius fabulis posui, præstare ausim, nusquam id loquendi genus apud ipsum reperiri, sed eos ita putasse, inductos in errorem, his è Medea versibus:

Δεινὴ γὰρ ἔτοι βράδ' ἴωσθε συμβαλῶν

Ἐλθεαν τις αὐτῆ, καλλίνικον οἶσε.

cùm tamen ibi legendum sit, ἄσεται, non οἶσεται. est enim καλλίνικον genus cantilenæ, quod canebatur victoribus, quos etiam honoris causa καλλινίκους appellabant: vt, Io pæan, aut, Io triumphæ. idque disertè tradidit Athenæus libro XIII. tripudiantes autem eam cantilenam canebant. vnde apud eundem poetam in Hercule furente,

Τὸν καλλίνικον μὲ θεῶν ἐκώμασον.

ait igit-